

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Sanctae Mechtildis virginis ordinis Sancti Benedicti Liber specialis gratiae

**Mechthild <von Hackeborn>
Mechthild <von Magdeburg>**

Pictavii, 1877

Caput XV. De quinque modis deum laudandi.

[urn:nbn:de:bsz:31-60070](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-60070)

culum. Primo vinum valde bonum, per quod notabatur omnis labor sanctissimæ Christi conversationis, et omnium electorum. Secundo, rubeum vinum, Christi passionem et mortem figurans. Tertio, propinavit sibi merum optimum et suavissimum, divinæ scilicet dulcedinis intimam et spiritualem infusionem. Hæc autem omnia quælibet devota anima spiritualiter ministrat, cum ista devota recolit gratitudine, et pro his Dominum Jesum laudans benedicit.

Qualis
cibus et
potus
Domino ab
anima
ministratur.

CAPUT XV.

DE QUINQUE MODIS DEUM LAUDANDI.

ALIA quadam nocte, cum ex tristitia somnum capere nequiret, audivit Angelorum choros personare: « *Jacta cogitatum tuum in Domino, et ipse te enutriet* ». (PSAL. LIV. 23.) Viditque Dominum stantem coram se in viridi vestimento. Ad quem illa: « O amantissime Domine, cum sit tempus passionis, cur viridi veste indueris? » Cui Dominus: « Scriptum est: *Si in viridi ligno hoc fecerunt, in arido quid fiet?* » (Luc. XXIII. 31.) In quo verbo intellexit, quia si virorem omnium virtutum, scilicet Jesum, tam diversis affecerunt pœnis, quid tunc eis qui aridi omnibus sunt bonis, nisi æterna tormenta præparantur. Tunc oravit Dominum ut se instrueret, quid sibi laudis facere deberet hoc tempore passionis. Qui ostendit ei digitos manus suæ, per quos edocta est ipsum debere quinque modis laudare.

Jesus
est lignum
viride in
quo virent
omnes
virtutes.

Primo, suam incomprehensibilem omnipotentiam, qua ipse præpotens Dominus Angelorum et hominum, pro homine impotens est effectus. Secundo, suam inscrutabilem sapientiam, qua ipse tamquam fatuus est reputatus. Tertio, suam inæstimabilem charitatem, qua gratis odio est habitus

pro salvandis. Quarto, suam benignissimam misericordiam, qua pro homine tam crudeli morte est damnatus. Quinto, suam dulcedinem suavissimam, qua morte amarissima est pro homine amaricatus.

CAPUT XVI.

DE NOMINE DOMINI ET DE EJUS VULNERIBUS SACRIS.

IN Missa quadam, *Nos autem*¹, dixit ad eam Dominus : « Attende verba hæc, scilicet : *in quo est salus, vita et resurrectio nostra,* » etc. In cruce enim vera est salus, nec extra eam alia salus invenitur, juxta illud :

Nulla salus est in domo,
Si non crucem invenit homo
Super liminaria.

In Cruce
moriens
Christus
animam
in se
æternaliter
vivere dedit.

In quacumque ergo anima crux, id est tribulatio, non est, nulla patientia est; ubi vero patientia non est, nulla salus est. Vera etiam vita homini in Cruce, donata est quando ego vita animæ morte amoris in Cruce moriens, animam in peccatis mortuam vivificavi, et in me æternaliter vivere donavi. Per Crucem quoque homini donatum est ut quoties per peccatum labitur, toties poenitendo resurgat. Insuper carnis resurrectio et æterna salus (a.)

Et dum in Epistola legeretur : *Dedit illi nomen quod est super omne nomen,* dixit ad Dominum : « Mi Domine, quod est illud nomen dignissimum quod tibi datum est Patre? » Cui Dominus : « Nomen illud est Salvator omnium sæculorum. Ego enim sum Salvator et Redemptor omnium quæ

1. Feriæ III majoris Hebdomadis, etc.
(a.) libertas. *Codd. S. Gall. et Vind.*